



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 46. Sirleti Cardinalis fatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Comitiis, quibus Sixtus V. Pontifex Sæcul. XVI.
A.C. 1585.
 Maximus renuntiatus est, sub quo etiam anno primo Pontificatus, & nostræ salutis millesimo quingentesimo octogesimo quinto die decima octava Julii obiit, annum agens quadragesimum secundum, cujus corpus in Basilica SS. duodecim Apostolorum ante Aram maximam sepulcro, quod olim ante acceptam purpuram sibi paraverat, reconditum quiescit.

Hic idem Lauretanam Domum amplissimis redditibus dotabat.

§. XLVI.

Sirleti Cardinalis fatum.

Sextus erat Guilielmus Sirletus Anno salutis millesimo quingentesimo decimo quarto Stili Calabriæ oppido ex nobilibus, ac virtutum splendore claris, tenuis tamen fortunæ Parentibus natus. Hic in sua patria, ac Neapoli primum Græcis, Latinisque literis operam dedit, & in illis excellens ipsos Magistros longe superavit, quibus Mathematicas disciplinas junxit, & Philosophiæ, ac Theologiæ dogmata ex ipsis Græcorum Scriptorum fontibus tam avide hausit, ut in omni scientiarum genere perfectus evaserit, qua sola suppellectili instructus, auro, ac vestimentis destitutus, unico sacrorum

Ciac. p. 974.
Albi l. c.
Attichy hist.
Card. t. 3.
p. 486.
Thu. l. c.
Spond. hoc
ann. n. 33

Y 4

Biblio-

Sæcul. XVI.
A. C. 1585.

Bibliorum volumine secum delato, Romam se contulit, ubi brevi eruditus omnibus innotuit, ac in familiam Marcelli Cervini Cardinalis S. Crucis, qui postea Papa creatus Marcelli II. nomen assumpsit, cooptatus est, porro ex hujus Pontificis beneficentia abunde omnibus sibi necessariis suppetiis augebatur: postea vero a Paulo IV., qui Marcello successerat, ad suum Palatium, ut continuo illius consortio frui posset, accersitus, Protonotarius Apostolicus nominabatur, ac demum ad sancti Caroli Borromæi preces a Pio IV. anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Cardinalis renuntiabatur, mortuoque Antonio Amulio Cardinale Bibliothecæ Vaticanæ præficiabatur: insuper eum idem Pontifex ob celebrem hujus Viri famam, ejusque scientiam ac pietatem præ ceteris selegit, ut Nepotem suum Carolum Borromæum Cardinalem ejus fidei, & tutelæ committeret, cujus etiam animo rara illa pietatis, ac zeli semina inferebat, quorum fructus ad tam amplam sanctitatis segetem excreverant. Postea Sirletus una cum aliis doctis viris, ut Missale, Breviarium, & Catechismum pro Parochis ex Decreto sacri Concilii reformaret, fuit adhibitus, ac demum Indici librorum prohibitorum,

Sæcul. XVI.
A.C. 1585.

rum, eorumque expurgationi a Gregorio XIII. præficebatur, ut exinde errores deleteret, quibus quamplurimi, iique celebriores libri ceteroquin admodum utiles ob nimiam Authorum licentiam depravati erant: insuper novæ Bibliorum editioni, quæ illius ævo concinnabatur, operam suam navare a Sixto V. jussus hoc opus mortis invidia præpeditus perficere haud poterat, eidem vero Antonius Caraffa, qui illi in Bibliothecæ Vaticanæ Præfectura successerat, ultimam manum admovebat: Sirletus enim Romæ hoc anno feria quinta die octava Octobris anno ætatis septuagesimo primo animam exhalabat. Ceterum vix ullus hominum magis intrepidus mortis horam expectabat, ac de ea cum majori animi lætitia differebat, aut illam ardentiori desiderio concupiebat: cum enim vitæ suæ finem instare eidem nuntiaretur, exultans Christi e Cruce pendentis imaginem millenis osculis honorabat, identidem repetens: *Domine miserere, sicut vis, & scis*: instante autem morte eandem imaginem intuens, ac lacrimis madens ad suam Salvatorem dixit: *Gratias tibi ago Domine, quod ad optatum hoc iter me adduxisti, nec deseruisti in ultimo certamine*: his dictis vitæ periodum clausit inquit ex Psalmo quarto: *In*

Y 5

pace

Sæcul. XVI. *pace in idipsum dormiam, & requiescam,*
A.C. 1585. sepultusque est post obitum in Ecclesia
 sui tituli ad S. Laurentium.

Hic idem Cardinalis locupletissimam
 habebat Bibliothecam, quam ipsius
 hæredes Ascanio Columnæ Cardinali
 vendiderant, qui idem etiam hæredita-
 tis jure doctas Sirleti annotationes in
 Psalmos æque, ac ejusdem Apparatum
 Biblicum, quæ opera nondum typis
 impressa prodierunt, obtinuit. Ad
 hæc Sirleto etiam adscribuntur corre-
 ctiones, atque additiones ad Jus civile,
 præter epistolas quamplurimas, nec-
 non tractatum de Monarchia Ecclesia-
 stica, ex quibus tamen lucubrationibus
 nullam prælo subjici voluit præter va-
 rias in Bibliis Regiis Antverpiæ excu-
 sis lectiones: insuper idem latinitate
 donavit pervetustum Menologium Græ-
 cum, propriaque manu illud majori
 ex parte conscripsit, prout refert Car-
 dinalis Baronius in notis ad Martyrolo-
 gium Romanum die tertia Januarii:
 latinas quoque reddidit quasdam San-
 ctorum vitas Græce a Simone Metaphra-
 ste scriptas. Præter hæc opera non-
 nulli etiam Sirleto attribuunt Catalo-
 gum Mediolanensium Archiepiscoporum,
 quem ad calcem sui operis, cui
 titulus *Gallia Christiana*, Claudius Ro-
 bertus Cabillonensis Canonicus, atque
 Archi-

Archidiaconus annexuit. Ceterum Sirletus Cardinalis supremæ voluntatis suæ tabulis omnes scriptos suos Codices, qui sacram Sedem concernunt, Bibliothecæ Vaticanæ legabat.

Sæcul. XVI.
A. C. 1585.

§. XLVII.

Matthæi Contarelli Cardinalis obitus.

Septimus denique, ac postremus inter Cardinales hoc anno mortuos numerabatur Matthæus Contarellus natione Gallus Hilarii Contarelli, & Guyonæ Vivantæ filius, qui anno a partu Virginis millesimo quingentesimo decimo nono in pago de Morane ad Sartam fluvium in Andegavensi provincia sito primam lucem aspexit, ac a parentibus suis ad Gymnasium Angerianum ejusdem provinciæ, ut ibi literis vacaret, missus postea in Italiam venit, ubi Bononiæ sua obsequia præstitit Andreæ de Bobus legum Doctori, & postea in Romana Curia utriusque Signaturæ Referendario, Abbreviatorique, qui Hugonem Boncompagnum consanguineum suum Romam accersivit, eique Matthæum Contarellum tradidit, cum vero idem Boncompagnus primo Cardinalis, ac postea assumpto Gregorii XIII. nomine Pontifex crearetur, si bique a longo tempore Matthæi merita per-

Ciac tom. 4s
p. 96.